



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Oratio Pro Gratia Scribendi Obtinenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



ORATIO PRO GRATIA SCRIBENDI OBTINENDA.



M NIPOTENS sempiterne Deus, qui es Deus scientiarum Dominus, ac vera lux mentis nostræ, cæcitatem illuminans, & incomprehensibilis ardor duritiem humani cordis emolliens, & gelidum voluntatis inflammans: concede mihi fragilissimo ac miserrimo peccatori (Beata Virgine Maria intercedente) naturam veræ virtutis, & sanctitatis à Iesu Christo filio tuo Domino nostro, verbo & exemplo demonstratæ, cognoscere, cognoscendo tua gratia diligere, diligendo cupere, concupiscendo petere, petendo exercere, & exercecendo tandem comparare. Fac Domine benignissime, vt iam tibi impensè seruire incipiam, & ex virtutis initio ad eiusdem profectum & augmentum progrediar, & ex profectu in virum perfectum, ac in mensuram ætatis plenitudinis eiusdem filij tui Iesu Christi perueniam. Dirige obsecro cogitationes meas, vt recta sentiam; desideria mea, vt sancta cupiam; eloquia mea, vt utilia pronuntiem; & calamum meum, vt sine villa erroris nota iuxta Doctrinam sanctæ Matris Ecclesiæ, quam Spiritu sancto tuo semper doces & regis, perfectionis naturam ac dignitatem, nec non idonea instrumenta eius adipiscienda, declarem. Retrahe suppliciter oro Domine Deus meus occupationes nimias, ne me scribentem & meditantem impedian; da locum quietum, & tempus aptum, & ministerium accommodatum, ne strepitus curarum me tranquille tibi vacantem inquietant: mitte corporeæ imbecillitatis remedium, & dolorum leuamen, ne me pro tua gloria laborantem interpellent. Et tu ô donator vitæ largissimæ, qui Ezechia quindecim annos vitæ mirabiliter concessisti: concede mihi tempus, vt magnalia tua his libris explicare exordiar, & in hoc labore scribendi procedam, & si tibi placitum fuerit (quod mihi quidem impossibile est, tibi vero admodum facile) ad finem usque perducam. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, cum quo & cum Spiritu sancto viuis & regnas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ARGV